AUTHOR:

NITZCH, GREGOR
WILHELM

TITLE:

DISPUT. DE
DEMOSTHENE...

PLACE:

KILIAE

DATE:

[1850]

Master Negative #

91-80274-15

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88DD	
Z8	Nitzsch, Gregor Wilhelm, 1790-1861.
v.11	... Disput. de Demosthene oratore tali qualem Plato requisivit. Kiliae, Mohr [1850]
	8 p. 22 cm.
	At head of title: Index scholarum in Academia Christiana-Albertina ... MDCCCL ...
	Volume of pamphlets
	211631

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10.1.91 INITIALS V.W.D.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)





PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA-ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XV. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCL

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS AUGUSTI

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

INEST: G. G. NITZSCHII DISPUT. DE DEMOSTHENE ORATORE TALI QUALEM PLATO REQUISIVIT.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1850

Commilitonibus literarum studiosis

S.

Quod fortissimo cuique in ore est: si vis pacem bellum para, id quum vos evocati paratique ipsi referatis plerique, ut usurpare vobis liceat illud Archilochi

'Αμφότερον, θεράπων μὲν 'Ενυαλίοιο ἄνακτος,
Καὶ Μουσέων ἐρατῶν δῶρον ἐπιστάμενος,

nos quamvis vobiscum sentientes otium nullum neque expetamus neque exspectemus, nisi vindicato patriae jure honestum, tamen nostrum est providere, ne, si doctrinae studiis locus fuerit, nostra officia vestrum cuiquam desint. Quocirca scholarum vobis indicem exhibendum putavimus, eique de more etiam praefationem praemittendam, quae ad studiorum liberalitatem animique bene eruditi congruentiam pertineret.

Animi secum congruentis gravitas, quae aeque docentibus, discentibus aeque proponitur omnibus, praecipue in voluntate animi sita est, ejusque multum refert causas intelligere ac sentire. Quod ipsum quum ita demum consequi possimus, si animi humani indolem viribus artibusque suis plane expeditam bene cognorimus, commendatio inde nascitur quaedam antiquitatis graecae romanaeque studiis. Horum enim, maximeque Graecorum literis atque omni vita indolem humanam ad ipsius naturae instar expressam videmus. Quae commendatio apud studiosos eruditionis ita plurimum valebit, ut cuique sive omnia doctrinae studia sive sua ad humanitatem referenda maxime videbuntur,

inprimis igitur apud paedagogos, philosophos, theologos. In ejusmodi studiorum usum priorum quadam serie praefationum sententias de divinis humanisque rebus potissimas, quas Graeci suopte ingenio reperissent, complexus sum, scriptoresque extuli, ex quibus luculentissime nosceretur, quantum illi felicis naturae exemplo ad verum, honestum, pulchrum assequendum profecissent. Nunc, quoniam sapientia quid possit et habeat, vitae publicae maxime actione probatur, actoris autem animus ita manifestissime cognoscitur, si oratio actionem prosecuta est, eaque superstes legitur: ostendere vobis exemplum oratoris publici placet, qui Socrateae aetati suppar orationum numero uberrimus, praestantia ac gravitate disertissimus habetur ad cognoscendam memoriam, quam quaerimus. Quem etiamsi Platonis ipsius auditorem narrare satis fidenter non licet (negat certe Funkhaenelius in Act. soc. gr. I.); at consultorem et castigatorem populi talem se praestitit, qualem ille de Platone Socrates voluerat ac requisiverat, ut haud temere eum non Suadae magis quam Socraticae disciplinae alumnum appellaveris. Demosthenem dici ultro intelligitis; cui antequam quod tribuo argumentis vindicem, primum de universo hoc genere oratorum Graecorum profitendum est, quid habeant et demonstrent ad metiendos sensus honestatis ac pietatis, deinde de vi efficiente Socraticae disciplinae tantum adjiciendum, ut probabilitatem, quae de Demosthene est, recte informetis.

Orationes igitur sive publicas sive judiciales affines quadammodo reperietis tragicarum fabularum argumentis, ut quae justitiae divinae reverentiam atque innatam pectori humano religionem vocibus creberrimis referant. Loci insigniores quidam sunt hi: Antiph. de caede Herod. s. fin. § 93. VII. 756 Rsk. ib. § 82 p. 749. id. de c. chor. § 5. p. 764. Lysiae or. adv. Nicom. p. 858. in Andoc. p. 217. Lycurgi in Leocr. §. 79 et 92. IV. p. 171, 21. 192, 38. 197, 15.

Ad Socratem autem Platonemque quod attinet, placitis consiliisque utriusque sane studia moresque totius aetatis et civitatis adeo adversa potius quam amica fuerunt, ut doctrina eorum ex ipsa contentione prognata per contentionem exculta reperiatur esse; verum Plato, dum suum illud τὰ ἑαυτῦ πράττειν in animorum medicinam unam refert, munera publica subire suum

non esse censet, nihilo minus tamen philosophia illa, quae de animo immortali ac fine bonorum in ipso pectore sito fuit, aliquot viros egregios etiam ad gerendam generose rem publicam instinxit, velut Dionem, Phocionem, Timotheum ex belli ducibus, ex Demosthenis similibus Lycurgum. Et Lycurgus, qui maturiore aetate Xenocrati familiaris fuit, si plus fortasse ab Isocrate profecit quam a Platone, Isocrates vel maxime documento est, et si multitudinem civilesque animos spectes sanioris doctrinae operaeque condicionem fuisse iniquissimam, neque defuisse ne ultra quidem Academiae spatia philosophorumque umbram, qui sectae Socraticae aemuli publice privatimque bene mererent. Vis autem adversa, quacum jam dudum conflictabatur, non alia erat quam ignavia ac luxuria populi, quae vel fundata vel non satis provisa a Pericle, ab aliis deinceps oratoribus blandis alta erat atque adulta, qui in voluntatem publicam pro industria inertiam, ex otii spectaculorumque amore desidiam induxerant. Hos igitur populi ductores, ut qui ejus pravitatem alerent potius quam castigarent, Plato jam pridem notaverat eademque opera insectatus erat sophistas, qui oratores, quasi bestia agrestis mansuefacienda esset, mulcendi artibus instruerent, primum in Gorgia, mox in Civitate (VIII. 493 A—D) idemque condicionem alterorum, si qui rectius saperent, indignissimam arguerat, quum Demosthenes ad rem publicam accessit. Primum aliis quibusdam in causis publicis spectatus, jam Philippi Macedonis consiliis ac versutia Graeciae imminentibus, vindicandae libertatis curam unus omnium fidelissime suscepit.

Summa strenuitate contra Philippi machinas contendenti quod adversarius exstitit Phocion, probus ille atque sine ulla morum labe integer, id controversiam facit, uter eorum rectius sensisse videatur. Quam dubitationem neque ex rerum eventu, quem Phocion callidius divinaverit, dirimemus, neque Plutarchi judicio componemus quamvis caute temperato (Demosth. c. 13 et 14), sed fere in Niebuhrii cedemus sententiam, qui in opere posthumo scholarum de historia antiquitatis II. 338. utriusque sectam ita inter se committit, ut laus Demotsheni potior constet. Juvat autem, quoniam nobis nunc Demosthenis animus potissimum agitur, non vita omnis aut fortuna, fidei et

voluntatis causas paulo altius repetere. Scilicet exemplum videmus ejus diversitatis, quae multos saepe, etiam his quae nos nunc vivimus temporibus, discriminat; alter enim, Phocion, animum gerebat ad cautiones, diffidentias, ad desperandum denique usque inclinantem, in spem usque meliorem pronus erat Demosthenes, ut in audentiorem partem peccare mallet quam quicquam, strenue quod tentandum, relinquere. Ex his, si modo, sicuti a verissimo quoque abest, levitas absit, laus penes sperantes; vereque Amphitruo apud Euripidem Herc. f. 105. *Οὗτος δ'ἀνὴρ ἄριστος, ὅστις ἐλπίσι πέποιθεν ἀεί· τὸ δ' ἀπορεῖν ἀνδρὸς κακȣ͂.* Spem enim et rei tentandae audaciam pudor animi acrior gignit, eandem voluntatis bonae sensus de aliis hominibus concipit, reverentia ac postulatio justi a diis justi vindicibus repetit eoque sustinet. Pudor autem, qui omnino ignaviae est, ne sive ad labores sive in periculis strenuitas a nobis desit aut deficiat, ad tuenda ea pertinet, quae caritate carissima et in partem quodammodo nostri potissima observamus, diligimus, amamus; denique pudor quum praestatur fides et est et appellatur. In Demosthene, homine Graeco, et illis temporibus discriminibusque, caritas ac fides animi amplexabatur patriam et libertatem, et patriam non solum atticam sed universam Graeciam. Huic fidei cordatior nemo prudentiam cautionemque anteposuerit. Neque enim ultra caritatem patriae sapere potuit Demosthenes, neque quisquam consideratior providentiam ab illo postulabit ultra mentis humanae angustias; neque igitur temere in hunc modum criminabitur: prae amore libertatis Demosthenem parum animadvertisse, novam instare aetatem aeramque, quae imperium a populis ad reges, humanitatem artesque Graeciae ad barbaras gentes translatura ac propagatura erat. Hujus auspicia animadvertentem debuisse eum eloquentiae vim eo potius intendere, ut Philippum Graecis Graecorumque humanitati, Graecas civitates et ipsas inter se et communiter omnes Philippo conciliaret, quem ducem sequerentur contra Persas. Videmus Philippum dolis armisque re vera eo pervenisse, ut tale consilium et agitaret et Graecorum auxilia conciret; ex oratoribus idem egit Isocrates, sed rhetor in otio et scriptis; Demosthenes pro Graeciae libertate usque contendens sane quidem et cives a prava ambitione et alias civitates a discordia inter ipsas

revocare studebat, sed quo eas consociaret ad Philippi tyrannidem propulsandam; idem cautionem, diffidentiam, prudentiam omnem fidei ad opitulandum subjectam habebat, ut par est atque in omni vitae actione decet. (Nobilissima vox est orat. in Philippum II. p. 71, 23 de diffidentia, sed in hostem vel inimicum infestum.) Prudentia enim quoniam si quid cavet sibi quoque cavet, semper videndum, quid et quale appetas, id autem sentit et praescribit pudor, si vere sapias; ignaviae inservire nunquam debet cautio.

Postquam exposita ratio est, actorum sensorumque testimonia exhibeamus. Atque animum quidem Demosthenis voluntate ac fide egregium, in spem tuendam erectum, in universum referunt verba pro corona § 97. p. 258, 19. „Terminus enim omnibus hominibus vitae mors est, etiamsi quis in cubiculo abditum se contineat; oportet tamen viros boni qui sint suscipere quicquid honestum est bona animatos spe, perferre autem, quodcunque deus dederit, generose.“ — Deorum favorem sperat, propitiique Atheniensibus numinis indicia effert maxime propter Philippi perfidiam Olynth. II. (I) fere tota sed potiss. p. 24, 15. et p. 19, 20. *θεοῖς ἐχθρὰν αἰσχροκέρδειαν* p. 611 15; Atheniensium pietas Ol. III (II) p. 35, 25. Verum non minus ei persuasum erat, ita demum faventes habituros esse deos, ipsi si strenue res susciperent, susceptasque impigre gererent. Ol. II. (I.) p. 24. 21. *ȣ̓κ ἔνι δ' αὐτὸν ἀργȣ͂ντα ȣ̓δὲ τοῖς φίλοις ἐπιτάττειν ὑπὲρ αὐτȣ͂ τι ποιεῖν, μή τι γε δὴ τοῖς θεοῖς.* Eaque sanae pietatis ratio. quam Plutarchi illud *ἀρετῆς ἐλπὶς ὁ θεός, οὐ δειλίας πρόφασις* facundissime comprehendit, omnino antiquis hominibus probatissima fertur; *τῶν πόνων πωλȣ͂σιν ἡμῖν πάντα τ'ἀγάθ' οἱ θεοί,* inquiunt ap. Xen. Com. II, 1, 20. Hoc animo quum Demosthenes publicam libertatis causam susciperet, quamvis animadvertens illam, quam alte animis Atheniensibus insederit, segnitiem, tamen fortitudinem animosam praeeundam iis potius censuit quam desperandum de iis, ut fere Phocionem sensisse videmus. Ita expromsit illam, quam Socraticam quandam dixi, corripiendi castigandique liberrime audaciam. Evolvite praeter ceteras orationes Philippicas, tres Olynthias maximeque tertiam, quae de Dionysii ratione secunda numeratur, in qua populo quod in deliciis est *θεωρικὸν* attrectat adimitque quamvis tenacibus; deinde ex iis quae in Philippum inscri–

buntur I. et III. Illius initio, hujus c. 2. extr. p. 112. 24 ex ipsa segnitie, quae usque adhuc fuerit, spem meliorem repetit: νῦν δὲ τῆς μὲν ῥαθυμίας τῆς ὑμετέρας κεκράτηκε Φίλιππος, τῆς πόλεως δ' οὐ κεκράτηκεν, οὐδ' ἥττησθε ὑμεῖς, ἀλλ' οὐδὲ κεκίνησθε. Neque temperat libertati illi dicendi, quin etiam facete describat socordiam, qua Graeci quum audiant alias gentes a Philippo victas obrutasque esse, nihil excitentur, sed faciant quasi quum ii qui tempestatem grandinemque imminentem spectant precantur quidem quisque, ut in suas segetes ne ingruat, inhibere aggreditur nemo.

Eadem in oratione, ardoris sancti ac paene divini plenissima, supra libere dicendi veniam non tam petens quam postulans ea in civitate, quae eam privatim etiam peregrinis servisque concedat, ex publicis consultationibus nuper excluserit, ipsos acrius incusat quam etiam oratores consultoresque pravos. Quorum perversitatem ubi acrius insequitur in Ol. III (p. 34, 22. p. 36, 18. p. 37, 9.) populum non minus graviter quam callide admonet (36, 26) conditionis quae olim dominantis fuerit, nunc sit quasi apparitoris ac ministri, quum nunc imperium penes istos oratores esse reperiatur. Addite or. in Aristocr. p. 690, 10 et 21. Eadem prudentia veterum laudum audientes admonet, si possit eos ad recuperandas integrandasque incendere.

Pietatis religionisque, quae a judiciis ipsisque judicibus potissimum postulata sit, testimonia sunt haec prae aliis diserta: de f. leg. p. 415 sq. in Aristocr. p. 652 sq. addite adv. Boeot. p. 1005, 26. Coronidis autem loco accedat descriptio vitae castae atque sanctae quae eum deceat, qui munere sacro fungi velit: c. Androt. verba postrema.

Dab. Kiliae d. IV. m. Martii a. MDCCCL.

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *A. F. L. Pelt privatim* 1) Epistolam Pauli ad Romanos quaternis diebus h. XI. interpretabitur; 2) de philosophia recentiori inde a Kantio ejusque cum Theologia nexu disseret diebus Lunae, Martis et Veneris h. XII.; *publice* principia Juris ecclesiastici exponet diebus Merc. et Sat. h. IX. Praeterea solito more exercitationes biblico-theologicas moderari perget, singulis diebus Lunae h. VI. et VII.

Dr. *H. A. Mau*, h. t. Decanus, *privatim* quaternis diebus h. X. Theologiam biblicam Veteris Testamenti tradet, iisdem diebus h. III. Evangelium Joannis interpretabitur; *publice* binis diebus h. X. de theologia Joannea disputabit; *privatissime* die Martis hh. VI—VIII. exercitationes exegeticas moderari perget.

Dr. *C. Lüdemann publice* seminarii homiletici exercitationes moderari perget diebus Jovis, horis X. et XI.; *privatim* exercitationes seminarii catechetici moderabitur diebus Mercurii, hh. X. et XI., artem liturgicam et theologiam pastoralem docebit diebus Lunae. Martis et Veneris h. IV.

Dr. *Th. A. Liebner privatim* Dogmaticam christianam docebit quinquies. dieb. Lun. Mart. Jov. Vener. et Saturn. h. XII.; *publice* Introductionem in dogmaticam christianam tradet d. Merc. hh. XII. et VI.; *privatissime* disputationes theologicas moderabitur die Vener. hh. VI—VIII.

Dr. *N.* *Thomsen* *publice* diebus Mercurii et Saturni h. XI. historiam ecclesiae christianae recentissimam inde a medio saeculo XVIII exponet. *Privatim* historiam ecclesiae christianae universalem per partem ejus alteram usque ad nostra tempora tradet, quinquies, h. V.; dogmatum in ecclesiis evangelicis receptorum vigentiumque historiam enarrabit, quater, h. XI.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *N.* ***Falck*** ***publice*** de matrimonio et sponsalibus die Saturni h. X—XI. disseret; *privatim* h. X. historiam imperii et juris germanici, et h. XI. processum civilem communem duce libro V. C. Lindii quinquies p. h. docebit.

Dr. *M.* *Tönsen* *privatim* processum civilem ordinarium Slesvico-Holsaticum illustrabit ex schedis suis adhibito libro ill. Francke *(der gemeine deutsche und Schlesw. Holst. Civilprocess)* quaternis diebus h. XI.; *publice* processus summarios juris patrii binis diebus h. XI. docebit.

Dr. *J.* *Christiansen*, h. t. Decanus, *privatim* Institutiones atque Antiquitates juris Romani quater per hebd. hh. X—XII. tradet.

Dr. *R.* *Ihering* tradet Pandectas excepto jure hereditario duce Puchta quotidie hor. XI—I.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *C. H.* *Pfaff* *privatissime* tam examinando quam repetendo studium physices et chemiae, respiciens inprimis Stoechiometriam et doctrinam de Galvanismo et Electro-magnetismo, promovere paratus est.

Dr. *G. H.* *Ritter* *privatim* pathologiam generalem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. X., diaeteticen diebus Martis et Jovis h. X. docebit; *publice* scientiae medicae encyclopaediam tradet horis audituris commodis.

Dr. *A. L. A.* *Meyn*, *publice* singulis diebus Saturni h. IX—X. artem medicas formulas concinnandi exponet; *privatim* quinquies per hebd. h. IX—X. pathologiam et therapiam organorum digestioni etc. inservientium docebit. Exercitationes medico-clinicas quotidie h. X—XII. moderaturus est.

Dr. *W. F. G.* *Behn*, h. t. Decanus, *privatim* physiologiam humanam omnibus diebus non festis h. VIII. exponet; zoologiam quinquies p. h. h. III. docebit; neurologiam et anatomiam organorum sensuum ter p. h. hora idonea demonstrabit. *Privatissime* exercitationes physiologicas et zootomicas habebit.

Dr. *L.* *Stromeyer* ternis diebus Ophthalmiatriam tradet; item ternis diebus Chirurgiam operativam docebit, adjungens exercitationes in cadaveribus instituendas; Clinicen chirurgicam quotidie moderabitur.

Dr. *C. C. Th.* *Litzmann* *privatim* theoriam artis obstetriciae diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IV. et die Saturni h. IX. docebit; Clinicen obstetriciam moderabitur quinquies per hebdomadem h. IX.

Dr. *W.* *Griesinger*, *privatim* Exercitationes medico-clinicas h. XI—XII. omnibus diebus moderabitur, Pathologiam et therapiam specialem sexies p. hebd. h. VIII—IX. docebit.

EX ORDINE PHILOSOPHICO.

Greg. Guil. *Nitzsch*, *privatim* Euripidis Iphigeniam Tauricam et Electram enarrabit ternis scholis dierum Lunae, Jovis, Veneris h. XII—I.; binis autem syntaxin utriusque linguae veteris inter se comparabit dd. Lunae et Jovis h. X—XI. Publico officio seminarii philologici exercitationes varias moderabitur.

Justus *Olshausen*, acad. Curator, *publice* linguam Arabicam docebit; *privatim* Jesaiae vaticinia explicabit et exercitationes Hebraicas instituet.

H. *Ratjen* *publice* diebus Lunae et Jovis h. pomeridiana h. III—IV. historiam literariam juris civilis adumbrabit. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque lege constitutis.

H. F. Scherk, h. t. Decanus, *publice* calculum differentialem bis per hebd., *privatim* Algebram atque Geometriam algebraicam quater h. XI—XII., Introductionem in Analysin ter h. V—VI. docebit.

H. M. Chalybaeus, h. t. Rector, Logicam et metaphysicam quaternis diebus h. IX. *privatim*, et Philosophiam juris et status ternis diebus Lunae, Mart. et Merc. h. IV. *privatim* tractabit.

Jo. Gust. Droysen publice exercitationes historicas moderabitur, *privatim* historiam antiquam enarrabit quinis p. h. horis IV—V., politicen empiricam docebit quaternis horis V—VI.

J. C. Ravit, *publice* bis per hebd. de publica pauperum cura aget; *privatim* quaternis diebus hora V. statisticen ducatuum Slesvici et Holsatiae docebit, quaternis diebus hora IV. de reditibus et sumtibus publicis doctrinam tradet.

P. W. Forchhammer ex itinere redux lectiones indicabit.

C. Himly chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit sexies per hebdomadem h. X—XI. Exercitationes chemicas et analyticas et pharmaceuticas in laboratorio academico sueto more hh. XI—II. instituet.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* jus criminale docebit senis diebus h. XI—XII., binis diebus h. XII—I. *publice* selecta juris criminalis capita explicabit.

C. Samwer ex itinere redux lectiones indicabit.

MEDICINAE.

Dr. *F. H. Hegewisch privatissime* artem medicam docebit.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *Ern. Ferd. Nolte* docebit h. VII—VIII. Botanicen; die Saturni h. II. excursiones botanicas instituet. Demonstrationes in horto botanico suetis horis habebit. Nec iis deerit, qui praelectionibus suis privatissimis super singularum plantarum familiis uti volunt.

Dr. *Karol. Müllenhoff privatim* I. historiam poesis theodiscae inde ab initio saec. XVIII. ternis p. hebd. horis enarrabit, II. Taciti de Germania libellum ternis horis interpretabitur; *publice* exercitationes theodiscas moderari perget, carminis der Nibelunge nôt partem priorem interpretando; *gratis* denique offert scholas saxonicas et anglosaxonicas.

Gustav. F. Thaulow historiam tradet philosophiae antiquae praemissa introductione in universam philosophiae historiam, quater per hebd. *privatim* diebus Lun. Mart. Jov. Vener. hor. VIII—IX.; Platonis et Aristotelis docebit Paedagogiam bis *privatim* h. VIII—IX. diebus Merc. et Sat.; de artium, quae sunt in Hispania, Francogallia, Belgica, Hollandia, disseret monumentis bis *privatim* diebus Mercur. et Sat. h. III—IV.; exercitationes paedagogicas moderabitur *gratis*.

Dr. *L. Stein privatim* Philosophiam juris encyclopaedicam quaternis horis tradet; *publice* selecta ex historia juris naturalis capita binis horis tractabit.

Dr. *G. Karsten privatim* physicen experimentalem quinquies p. h. diebus Lun. Mart. Merc. Jov. Ven. h. IX. leget, physices theoriae partem primam sive generalem bis p. h. dd. Lun. Jov. h. X. docebit, mineralogiae systema exponet dd. Mart. Ven. h. X. *Publice* meteorologiam die Merc. h. V., crystallographiam die Sat. h. IX. tractabit. *Privatissime* exercitationes practicas instituet, *privatissime* sed *gratis* colloquia physica moderabitur.

Dr. *K. W. Nitzsch privatim* historiam patriae enarrabit ter per hebd. hora III. postmerid., Politices historiam praecipuarum rerum publicarum exemplis illustrabit quater per hebdomadem; *publice* exercitationes criticas in Presbyterum Bremensem instituendas offert.

Dr. *Frid. Harms* tradet *privatim* psychologiam quaternis p. h. diebus h. XI., philosophiam naturae bis per hebdomadem h. XI.; *publice* de theoria sensuum semel per hebd. hor. X. disseret.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* jus criminale quotidie docebit h. X.

MEDICINAE.

Dr. *W. H. Valentiner* historiam evolutionis ovi animalium vertebratorum et hominis binis diebus docebit.

Dr. *F. Weber privatim* docebit: anatomiam pathologicam specialem quater p. hebdom.; osteologiam et syndesmologiam angiologiam, praecipue situm vasorum bis p. hebd.

Dr. *Th. Valentiner privatim* physiologiam docebit.

Dr. *P. Jessen publice* Psychologiam bis per hebdomadem diebus Mercurii et Saturni hora X—XI. docebit.

Dr. *A. N. Herrmannsen publice* semel per hebdomadem malacozoologiam docebit; *privatim* diaeteticen exponet; *privatissime* lectiones zoologicas medicasve offert.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *Th. Sörensen privatim* historiam Judaeorum inde a gentis primordiis usque ad Hierosolyma per Titum eversa enarrabit quinquies per hebd. h. IV—V. Praeterea scholis *privatissimis* hebraicis et arabicis non deerit.

Dr. *Carolus Prien*, *publice* 1) selecta carmina Tibulli et Propertii interpretabitur bis p. h., 2) de arte critica et hermeneutica disseret bis p. h.

Dr. *H. C. Dreis privatim* diebus Lun. Mart. Merc. et Jovis h. VIII—IX. geographiam comparativam Aegypti, Palaestinae et Syriae docebit, *publice* bis p. h. hora pomeridiana V—VI. diebus Ven. et Sat. de geographia Germaniae disseret. Praeterea *privatissime* principia et methodicen geographiae, quam dicunt comparativam, explicabit.

LECTORES LINGUARUM.

S. Lubbren, lector linguae anglicae, King Henry IV. by Shakspeare leget, *privatissime* scholas anglicas quotidie offert.

J. A. Schwob-Dollé, linguae franco-gallicae lector, docebit *publice* litteraturam franco-gallicam saeculi XVIII., *privatim* interpretationem Schilleriani carminis *Wallenstein's Lager* moderabitur et exercitationes instituet.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, et artem equos subigendi docebit et publicas scholas habebit de externa equorum forma recte judicanda, sive de ea artis veterinariae parte, quae ad externas equorum virtutes et vitia spectat.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi, adumbrandi, pingendi arte exercitationes moderabitur.

Armorum tractationem, saltationem, reliquamque gymnasticam discere cupientibus non deerunt magistri harum artium peritissimi, ad easque docendas publico stipendio conducti.